
221



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda in Scholis Medicorum die Martis vigesimâ-primâ Novembris M. DCC. XLI.

M. CAROLO DIONIS,
Doctore Medico Præside.

An Syphilidi conveniat Suffumigatio recens?

I.



OMINUM ferarumque genus omne, veneris furiis agitatur, idem omnibus amor: hoc tempore ferocior Leo, sæviorque Leæna campis errant, dant funera stragemque Ursi per sylvas, sævit Aper, crudelissima Tygris est, imbelles Cervi miscent prælia; Equos nec fræna, nec verbera, nec scopuli, nec cavæ rupes, nec objecta retardant flumina: Insignis quoque Equarum furor, ducit illas amor trans montes: Juvenis cui magnum in ossibus ignem durus amor versat, claustra penetrat: Inclusam puellam teneram Viroque maturam, ubi subdita est flamma medullis, turris ahenea, robustæque fores, & vigilum canum tristes excubiæ non satis muniunt nocturnis ab adulteris: adeo *Omnia vincit amor*: Hoc stimulante uterque sexus in amplexus ruit, sibi mutuò oculis, voce, gestu, blandiuntur. Hinc tot animi perturbationes, tot anxietates, tot iræ, tot integrationes prodeunt: unde proverbium *Amantium iræ amoris integratio est.** Insidiosus amor sæpius juventam enecat morbi genere qui solus omnium vices adæquat; ille etenim syphilis, sive lues venerea, nonne omnium est morborum farrago? Non tot jugulat numerosa febrium cohors, quot lues venerea? non

* Terent.

A

effrænata libido sola, non sola luxuria syphilidem gignit, hâc plures laborant licet non meruerint: Alumnus à Nutrice, Nutrix ab Alumno, à Conjuge Vir, Conjux à Viro: Fatalis est gladius, quo concidunt multi: Monstrum adeo immane, nulla gens sibi vindicat proprium; Quæ ergo patria? Gallia? Bætica? Italia? fabula. Nulli gentium fit injuriæ syphilis; apud omnes nascitur, alitur. Promiscuus mulierum congressus, quas lassatas non satiat Venus, feminum varietas, fons mali atque parens; si definitionem quæras, paucis dicam: Est hic morbus * qui & Neapolitanus dicitur universalis humorum per totum corpus δυσκρασία & corruptio, quâ particulæ non nihil viscidæ & corrosivæ per impurum plerumque coïtum contractæ, atque hinc toti sanguini communicatæ, non tantum glandulosas hinc inde partes, sed & Musculos, Tendines, Nervos, imo tandem & Ossa exedunt, corrumpunt, atque ita quam plurimis symptomatibus gravissimis morbisque etiam variis ansam præbent. Pars non una in hoc morbo, sed integrum ferè corpus afficitur. Malum hoc in fluidis primùm nidulatur, unde cum partibus quoque solidis deinceps communicatur; ita ut nulla ferè pars, sivè interna, sivè externa immunis ab eo sit: Hujus luis signa certissima sunt, capitis gravitas, *colli & humerorum* cruciatus, qui temporis progressu ad *brachiorum & crurum articulos* serpunt, atque noctu magis quam interdiù exacerbantur ægrósque torquent; Tumores præter naturam in *articulis*, qui tumores ægrè discutiuntur, ac tardè admodum suppurantur, sæpius quoque in Nodos & Tophos abeunt; in *palato* & circa *intimos oris angulos*, nigræ, fœtidæ prominent pustulæ; *Fauces & lingua* non rarò exulcerantur; In *genitalibus* ulcera cancrosa, Porri, Verrucæ, Condylomata juxta *anum*, Fraga, Fici, Mariscæ; In *inguinibus* Pani sive Bubones, In *testiculis* tumores multiformes: Hi sunt Satellites fidi quibus stipatur iste morbus; Hæc universa symptomata pedetentim incrudescunt, dolor præ reliquis: Cave tamen decipiaris; non æquis passibus incedit semper subdolus; tot tamque varias induit Larvas Protheus iste, ut aliquando nisi tota mentis acies adhibeatur, vel perspicacissimis oculis imponat: Brevi tacitò cursu, ementitâque mansuetudine, furtim atque silentiò subrepet, & quas acquisiverit eundo vires rursùm exeret.

* Zuinger. Theatr. prax. Med.

II.

MORBI Venerei si durationem spectes, hunc perlongum appellaveris; si indolem, atrocissimum dixeris; si mutabilitatem, Protheum nominaveris: si quidem nunc totum infestat corpus, nunc partem corporis hanc illamve obsidet; mirum quot hujus morbi sobolescant symptomata quæ miseros torquent: Depascitur totum corpus omni dolorum genere excruciatum; Hoc morbo nihil frequentius, sanatu difficilius nihil: quidquid in aliis horrendum cernitur, illud omne secum trahit: Quæritur, an exter remedium, quo juvante non symptomata tantum hujus morbi evanescant protinus, sed & abditum in intimis partium recessibus virus, luis Fomes perpetuus, eliminetur expurgeturque universum? Non aliud quære quàm quod ex Mercurio, ut pote solo qui protheum hunc aptus sit vincere & vincire: non * *Apollinis magis verum atque hoc responsum est.* Sit ergo hydrargirus sacra anchora ad quam syphilide vexati confugiant: movet hydrargirus ptyalismum Monilibus, Cingulis, Emplastris, Pilulis, suffitu & litu; quo tamen moveatur modo cave, ne temerè camarina moveatur: Hydrargirus multos sanitati restituit, non paucos è medio sustulit. Si humorum copia ad fauces adpellat, strangulatur æger, non curatur; si ad cerebrum rapiatur, labitur in altum gravemque somnum, à quo vix excitari potest, & interdum fit rationis inops. Venenum est Hydrargirus, Alexipharmacum syphilidis Hydrargirus; cum facit nocuum aut innocuum peritia aut imperitia medentis. Non audax, non præceps, non etiam meticulosus sit in suffitibus & in unctionibus iterandis Medicus; *audaces ut timidos repellit Apollo.* Adhibetur Mercurius multiplici modo, internè sub formâ præcipitati rubri, Mercurii crudi, Aquilæ albæ, Æthiopis mineralis, Panaceæ mercurialis &c. Externè sub formâ Linimenti vel unguenti, Cerati vel emplastri, atque suffumigii; Suffumigia jam olim ad syphilidis curationem à Medicis *(a)* exercitatissimis feliciter usurpata fuêre: Qui sit autem recens suffumigandi modus, si quæras, En, Hicce est: Paratur papilio sub quâ imponitur olla carbonibus flagrantibus plena; undique circumvolvitur æger, ne vapor exhalet. Inspergitur igni materia præparata, in tenuissimum pulverem redacta; oculis & labris strictis vaporem per nares inspirat Patiens, uno duobusve minutis; pro ægrorum viribus variè variat suffumigator remedii dosim, semper præsente Medico; Medicos enim constat esse qui hujus morbi naturam, Signa, Symptomata, larvas & complicationes, simul & remedia quibuscumque morbis huic sociatis convenientia, perfectè dignoscere valeant: Hac methodo novâ, aliis remediis aliundè suffultâ, eliminatur expurgaturque virus; nullum sequitur incommodum, nullum periculum, nullus præsertim

* Terent.

(a) NICOL. MASSA. | GABRIEL. FALLOPIUS.
GUILLEL. RONDELETIUS. | ...

dolor; *& qui se ultrò morti offerunt inveniuntur quam qui dolorem patienter ferunt.* * at ut suffumigationi novæ suum tribuimus, sic nec aliis methodis quidquam boni detrahere contendimus: Omnes enim variæ methodi syphilidem possunt profligare, ex variâ remedii præparatione, ægrotantis dispositione & temperamento, pro morbi, virium symptomatumque ratione, pro denique peritiâ medentis; Apage tamen tot nebulones qui tabellis, opiatis, pilulis dum curationem pollicentur verba dant ægris, aut inferunt necem.

* Cæsar. comment.

III.

INNUMERIS celebriorum Medicorum observationibus qui frictiones Mercuriales felici cum successu adhibuerunt, patet frictiones *(a)* semper fuisse cæteris Mercurii præparationibus antepositas, quin imò hanc methodum in lue venereâ curandâ efficacissimam esse, illiusque inventum omnium Medicinæ beneficiorum esse præstantissimum; sed quis affirmaverit fore ut, Mercurio dato & aliter præparato lues venerea non profligaretur? Quare non erit exhibendi Mercurii apta methodus, cujus ope singulorum ægrorum vires, sine periculo, sine dolore possunt tentari: Talis est suffumigatio recens; Hæc autem suffumigandi methodus non tutior, inquies; Nam plures incassum sic tractati, à lue venereâ non sanati fuere: illud dici potest de aliis methodis, deque fumigatione; fatendum tamen breviorem & commodiorem esse suffumigandi methodum. A pluribus Medicis olim damnata & improbata fuerunt suffumigia; Hoc verum quidem est: Empiricorum suffitus verbis elevarunt *(b)* ut venena *præsentissima;* sed de suffitus methodo à viris peritissimis administratâ, omni adhibitâ cautione tale judicium non tulerunt: Laudantur è contrariò suffumigia tanquam efficacia ab exercitatissimis Medicis in curatione syphilidis. » Inter alios, inquit *Nicol. (c) Massa* » cum suffumigiis duos curavi qui numquam ab aliis medicaminibus sanati fuerant » qui inuncti fuerant pluries, sic sanati ab isto morbo fuerunt. « » curatus fuit Notarius quidam, inquit, *Gabr. (d) Fallop* qui in aliis multum me fatigavit, » & quem postea mulier quædam suffitibus ipsum incolumem reddidit « suffumigiorum ope, » ait, Guiell. *(e) Rondeletius* ulcus narium à morbo gallico curavi, quod non poterat » curari neque à Medicis Italiæ, neque ab aulicis, neque à cæteris Monspeliensibus: idem » feci, pergit, in quodam Nobili, qui per sex menses Lugduni à Medicis, & Chirurgis tractatus fuerat, neque tamen ullâ diætâ, ullove medicamento curari potuerat: Ego verò » quatuor diebus curavi ejus ulcus; ita ut priusquam perveniret domum suam quæ quatuor » dierum itinere distabat, integrè curatus sit. Ex dictis patet non ab omnibus Medicis reprobata fuisse antiqua suffumigia, sed ad recentem fumigationis methodum revertamus.

(a) Ut probavimus in nostra Thesi *An Luis Venereæ curationi per frictum, potius quàm per suffitum, faveant Medicæ observationes* discussâ in Scholis Medicor. die Jovis nonâ mensis Januarii. 1738.

(b) Joann. Benedictus:
Benedict. Victorius.
Auger. Ferrerius.
Ant. Mus. Brassavolus.
Alex. Trai. Petronius.
Epiphan. Ferdinandus.
Zacut. Luzitanus.

(c) Aphrodisiac. Cap. II. p. 100. Edit. 1728.

(d) Ibid. Cap. LXIX. p. 806.

(e) Ibid. p. 951.

IIII.

EST *iniqua in omni re accusanda prætermissis bonis, malorum enumeratio vitiorumque selectio.* (a) Procul hinc ii qui bona, novæ fumigationum methodi prætermitunt, & ubique mala enumerant: Frustra quidem hi Cavillatores clamitant rejiciendam esse novam fumigationem: *Favorabilis ac plausibilis apud omnes experientia.* (b) novæ autem fumigationi favet experienria. Rem omnem à principio narrare liceat; Visum est Magistratibus novæ suffumigationis effectus iteratis periclitationibus explorare palam instituendis coram Medicis, quos Facultas Parisiensis, penes quam jus & norma decidendi, deligere jussa est, ut tentamentorum omnium testes adessent oculati & idonei, utilitatumque, si quæ inde emergerent, judices æquissimi. Quid inde, mox scies: Quædam periclitationes habitæ fuerunt in Regio Militum *(c)* infirmorum Hospitio, in conspectu Medici *(d)* qui huicce valetudinario præfectus est; aliæ periclitationes institutæ fuerunt in publica pauperum domo; sive Prochotrophio *(e)*, coram Medicis à Facultate Parisiensi Legatis, qui sæpius hebdomade qualibet ad ægros accesserunt, ut suffitíbum administrationi invigilarent, ac effectuum inde prodeuntium seriem explorarent: apud Medicos *(f)* Parisienses à Facultate designatos utilis, brevis, efficax, atque facilis haberi cœpta est nova Suffumigatio; eorum relationibus auditis, Facultas post tres convocationes, duobus decretis *(g) affirmavit ad bonum publicum & veritatis honorem utiliorem, commodiorem nullomodo periculosam.*

(a) Cicero.

(b) Erasmus Colloq.

(c) l'Hôtel des invalides.

(d) Maloet.

(e) Bicestre.

(g) Primum die 14 Maii 1737. alterum die 23 Maii 1738.

(f) Lemery. Sylva. Reneaume. Baron. Maloet. Demagny. Col-de-vilars. De Lepy. Bertrand. de l'Espine. Bellot. Bourdelin. Fontaine.

fumigationem esse. Alii exercitatissimi Medici idem affirmaverunt testimoniis (*b*) atque (*i*) litteris. Restatne adhuc scrupulus? dubitasne plures à novâ suffumigatione sanatos fuisse in Nosocomio vulgo *Biceſtre?* audi, si verum scire vis.

(*b*) De la Riviere Doct. Med Parif. duo testimonia dedit, 1um. menf. Januar. alterum menf. Mart. 1740

(*i*) Reneaume, Sylva, Azevedo.

V.

INNUMERA prostant exempla eorum qui nuperrimè novâ suffumigationum methodo à lue venerea semel liberati, immunem postea ab eâ vitam duxerint: tot ponderosa testimonia, tot scripta convalescentium nomina in actis *de Biceſtre* utiliorem esse suffumigationem testantur; dubitasne? Audi sequentia: *Stephan. Cottin annor.* 18 Laborabat tumore glandularum inguinalium, lumborum dolore, pustulâ ulcerosâ in præputio, tumore testis & funiculi spermatici sinistri lateris &c. die 19 Junii 1737. tertium suffitus est, pustula præputii melius se habuit: die 22 Junii quintum suffitus fuit, glandulæ inguinales, testis & funiculus spermaticus nullatenus tumuerunt: septimum suffitus est, detumuerunt glandulæ inguinum: in dies res benè se habuerunt: die 7. Augusti 1737 nullum superfuit symptoma, optime se habuit & sanatus dicebatur ægrotans. *Claudio Minerval annor.* 32 aderant pustulæ variæ per corpus sparsæ, Crista juxta anum, Fluxus puris à balano subter præputium, Dolor scapulæ & capitis. Sextum suffitum passus est, bene se habuit; melius se habuit in dies, denique sanatus dictus est; sed inquies obiit post sanationem, obiit, (*a*) non diffitemur. à febrè malignâ peremptum esse affirmarunt Medici Parisienses qui præsentes erant ad dissectionem ejus cadaveris, dixerunt quc non mali quidquam suffumigii imputandum esse; *illa enim febris maligna & lethalis quæ ex improvisò accidit, non videtur deus ex machina ad expediendum nodum, hoc est ne interitus suffiti vitio verteretur suffumigatori.* Immerito his verbis (*b*) usus est nuperus author *meâ quidem sententiâ*: Hic narrat quod audivit; Facultas quod vidit. Ille novam fumigationem verbis elevat; Hæc autem extollit. *Simona Gaillard annor.* 40 affecta erat pustulis per corpus sparsis, latis, rubris, eminentibus, & pluribus in locis racematim congestis, Condylomatibus in ano, pustulis ulcerosis juxta vulvæ labia. Quater suffumigia passa pauló melius se habuit: suffita est quinquies; omnia visa fuerunt in dies remitti, septies suffita est, evanuere cætera symptomata; novies suffita fuit, bene valuit, in dies omnia bene se habuerunt, & denique sanata dicta est; Missos facio brevitatis causâ innumeros sanatos coram Medicis à Facultate Parisiensi designatis; verum scire vis? Evolve ut feci, acta rerum omnium quæ in variis periclitationibus gestæ fuerunt. *Ego quæ dico vera an falsa sint jam sciri potest* * Quid vultis amplius? Hæc sunt exercitatissimorum ponderosa Medicorum testimonia; Hæc sunt Facultatis Parisiensis judicia; Ex dictis liceat nobis concludere.

* Terent.

Ergo Syphilidi convenit Suffumigatio recens.

(*a*) Ex actis *de Biceſtre* dicitur sanatus die 26 Julii 1737. ex iisdem obiit die 14 Januarii 1738.

(*b*) *Non me fugit Medicis visum fuisse hunc ægrotum febre malignâ peremptum fuisse, neque mali quidquam suffumigiis imputandum esse, at certo quoque scio Chirurgos Ptochotrophii, qui præsentes erant, aliter omninò sensisse nec immerito, meâ quidem sententiâ; illa enim febris maligna & lethalis quæ ex improviso accidit, ægroto sexies & decies suffito, videtur Deus ex machinâ ad expediendum nodum, hoc ne interitus suffiti vitio verteretur suffumigatori.* Astruc. de morb. Vener. Tom. 1. *Lib.* 11. *Cap.* 9. P. 193. *Edit. altera* 1740.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Petrus Lehoc, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto & utriusque Pharmaciæ Professor designatus.

M. Antonius - Nicolaus Guenault.

M. Paulus-Jacobus Malouin.

M. Joannes-Baptista Boyer Regis Consiliarius & in Senatu Parisiensi Medicus ordinarius.

M. Bernardus de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius & in horto Regio Botanices Prodemonstrator.

M. Franciscus Mery.

M. Joannes-Claudius-Adrianus Helvetius, Regi à Sanctioribus Consiliis, Reginæque Medicus primarius, & è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Jacobus-Benignus Winslow Regiæ Scientiarum Academiæ, Societatisque Regiæ Berolinensis Socius, Teutonicæ linguæ Regius interpres.

M. Antonius Pepin Regis Consiliarius & in Portu Brestensi Medicus primarius.

Proponebat Parisiis NATALIS-MARIA DE GEVIGLAND, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1741.